

**Dissertatio inauguralis medica de menorrhagia sive mensium fluxu nimio /
[Christoph August Schreiber].**

Contributors

Schreiber, Christoph August.
Fischer, J. A.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfurt : Grosch, 1727.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works;brvsatpa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPVTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,
DE

MENORRHAGIA,

SIVE

MENSIVM FLVXX NIMIO;

QVAM,

SVB CLEMENTISSIMIS DIVINI NVMINIS AVSPICIIS,

MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE

AC PRO-CANCELLARIO,

REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO

DE GVDENVS,

EPISCOPO ANEMORIENSI,

MINENTISS. ARCHI-EFISCOPI ET PRINC. ELECT. MOGVNT. PER THVRINGIAM,
ASSIAM ET EICHSFELDIAM IN PONTIFICALIBVS VICARIO GENERALI, CON-
IL. ECCLES. SVFFRAGANEo ET SIGILLIFERO ERFORDIENSI, J. V. D. INSIGN.
ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CAN. CAP. ET SCHOLAST.

RATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN HAC PER-ANTIQUA

HIERANA INDVLTV,

PRÆSIDE

LAVDATISSIMA FACVLTATIS MEDICÆ DOMINO DECANO ET SENIORE

JN. D. JOH. ANDREA FISCHERO,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF.

PUBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAI. ISENAC.

PATRONO ATQVE PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO LICENTIA

MMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

PUBLICÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORVS AVGUSTVS Schreiber/

Molhusa-Thuringus,

DIE IV. APRILIS ANNO M DCC XXVII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVENTIS.

VIR O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
PRUDENTISSIMOQUE,
DOMINO
GODOFR. FERDINANDO
PETRI, JCto,

ATQVE ORDINIS SENATORII IN INCLYTA LIBERA IM-
PERIALI REPUBLICA MOLHVSINA ASSESSORE
GRAVISSIMO,

PATRONO ET FAVTORI SVO,
INSIMVLQVE PROPINQVA COGNATIONE SIBI CON-
JVNCTO, PER QVAM COLENDOD, SVSPICIENDO;

NEC NON

V I R O
PRÆNOBILI, AMPLISSIMO ET J. U. PERITISSIMO,


DOMINO
BENJAMIN CHRISTOPH.
Graßhoff/

LAUDATISSIMÆ REIPUBLICÆ MOLHVSINÆ ARCHI-
GRAMMATEO PRÆCLARE MERITO,

FAVTORI ATQVE CONSOBRINO SVO
ÆSTVMATISSIMO;

Disputationem hanc Inauguralem velut observan-
tia perpetuæ & sinceri amoris ~~eternitatem~~ offert,
juxtaque se suaque studia Ipsis officiosissime
comniendat

AVTOR



Q. D. B. V.

DISPV TATIONIS INAVGVRALIS
DE
**MENORRHAGIA, SIVE MENSIVM
FLVXV NIMIO**

§. I.



E fluxu mensium excessivo tractatuero ante omnia incumbit ut vocis *mensium* sensum, more laudabili in scribendis dissertationibus recepto, explicet, quamvis ferè lippis & tonsoribus nota sit ejusdem onomatologia ; nimirum *menses* dicuntur, quoniam plerunque & ordinarie, talis sexui sequiori propria sanguinis per genitalia eliminatio, à summo creatore fœtui alendo sub graviditatis statu alias dicati, singulis mensibus contingit ; dico autem plerunque sed non semper : Experientia enim, optima illa rerum magistra, utique testatur pluribusque exemplis confirmat, quod talis sanguinis excretio non stata semper servet tempora, nec singulis fiat mensibus, siquidem permulta inveniuntur subiecta, in primis

A 2 autem

autem plethorica, quæ quolibet mense bis, & iterum alia, quæ 5. 6. & plurimum hebdomadum spatio unica tantum vice, citra sanitatis noxam, menstruum experiuntur fluxum, ita tamen, ut talis eruptionis tarditas tunc ut plurimum largiore & copiosiore excretione compensetur. Ratione Synonymiæ, *menstrua*, *menstruum*, *lunare tributum*, *menstruum vestigal*, *profluviūm fœminarum* &c. Græcis τὰ ἐπιμήνια, καλαμίνια, ἐμμῆνα, γυναικεῖα. Gallis les ordinaires des femmes dicuntur; Idiomate autem nostro germanico die monatliche Zeit-Blume-Reinigung ic. hæc purgatio vocatur.

§. II.

Sed de mensium fluxu *ordinato* ac de ejus utilitate noxaque, suppressione & obstructione differere hujus non est loci, nec nærias illas antiquas PLINII, THEOPHR. PARACELSI, BONACIOLI aliorumque, sanguinem talem excretum pro virulento ac venenoso venditantum, examinandi ac refutandi animus est, non facile nempe fatua ancilla credet, (sunt verba Illustris STAHLII in Theoria Medica vera pag. 390.) quamvis non raro maribus cum foeminis menstruatis coëuntibus contingat, ut miasmate seu inquinamento venereo inficiantur, quale nonsolum inflammationem genitalium virilium, sed & alia mala consestaria inferre solet.* Sic & novis illis fabulis de philtris exin parandis nullus quoad mentem sanus subscribet. Nec AVGVSTINI lib. XIV. de ci-

vitate

* Hoc tamen verissimum est, prout in Gynæceis observari potest, quod subjecta quædam, quæ hyeme vel autumno prima vice fluxum mensium experientur, postea fluxu revertente noxam cerevisiæ, musto, vino &c. afferre possint. Idem habet VVelsbachius & ipse tale quid animadvertis.

vitate Dei sententiam, ac si in peccati poenam menstruum vectigal, Evæ, mortalium cunctorum matri, à Deo impositum sit, defendam; licet hanc quoque sententiam præter illum & HELMONTIVS & beatus RIVINVS, (cujus cineres deveneror) pariter amplexi fuerint. Interim tamen, quod obiter addo, curiosum est, quod bruta lunare tale tributum non experiantur, si solam simiam & piscem Rajam excipias. Vid. M. N. C. Dec. I. A. IX. & X. observ. 194. p. 4. 5. 6.

§. III.

Subiectum quod attinet, an scilicet ex uteri cervice vel vagina vel ex intima uteri cavitate profluviūm tale contingat, de hoc variæ variorum Autorum sunt sententiæ, è quibus tamen mihi arridet STAHLII, Medici famigeratissimi, opinio, quâ emanationem menstruam per vasa quæ ad cervicem & collum uteri, à vena hæmorrhoidalí porriguntur, fieri adstruit, eumque in finem sequentia maxime argumenta, *acutus ille disputator*, (ut à NICOLAO MARTIO in *compendio magiae naturalis* pag 31. in *not. ad lit. (r)* jamdudum salutatus fuit) in medium profert: Primò, inquit, contingit non ita raro, ut sanguinis non solum lenis, qualis menstrua est, emanatio; sed omnino profusio larga, ipsis etiam gravidis, sine fœtus detimento, eveniat: cuius rei exempla non ex alienæ fidei historia, sed propria experientia habeo insignia. Secundo quod etiam in aliis fœminis, exemplis minime infrequentibus, tales menstruæ hæmorrhagiæ contingant, cum ejusmodi grumis quoque sanguinis, quales capacitas uteri fœtu vacui, vel decimam partem non admitteret, nec orificium ejus emitteret; ne quid de eo dicam, quod hoc

orificium, sub talibus casibus, tactu constanter deprehendatur clausum: Tertio, à posteriori, quod tam præsentissimus sit consensus hypochondriorum cum utero, & in primis directe cum mensium negotio. Vid. Illustris & incomparabilis Viri Theoriam Medicam veram p. 391. legat etiam, cui libet, totum membrum VIII. Sect. I. de diversitate corporis & actionum secundum sexum, nec oleum, nec operam, nec tempus perdet. confer. insuper ejusdem diss. de mensium muliebrium fluxu secundum naturam & suppressione præter naturam, ut & Cl. JVNCKERI Conspect. Med. Theoret. Pract. & Experientissimi LANGII Oper. Med. Sc.

§. IV.

De famoso illo fermento uteri singulari à phasibus lunæ activitatem & elasticitatem accipiente, de quo alias quoque canit Poëta:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat;
prolixius differere hic loci non placet. Experientia equidem testatur, quod utique insignes mutationes motuum & humorum nostrorum circa phases lunæ notabiles fiant; & præcipue observatur, quod talis excretio, quando in iisdem maxime cum novilunio conspirat, felicius succedat; influxum autem propterea seu ut loquitur JVNCKERVIS ex ore Excell. STAHLII in consp. Med. Theoret. Pract. p. III. *absolutum imperium in corpus nostrum statuere, experientiae repugnat & credat Iudæus Apella.*

§. V.

Sed è diverticulo ad viam! *Fluxus mensium nimius,* de quo mihi hic est sermo, proprie definitur, quod sit *Sanguinis menstrui in seku feminino, nunc liquidi, nunc spissi,*
nunc

nunc grumosi, per genitalia præternaturalis excretio, menstruo quidem & saepius solito tempore, sed nimis impetuose contingens, majorem, quam par est, sanguinis quantitatem diutius justo factâ & continuatâ profundens, notabilemque virium languorem & imminutionem, coloris faciei depravationem, aliaque symptomata graviora inducens & post se relinquens.

§. VI.

Quoad differentiam, differt fluxus modo descriptus a fluore albo in eo, quod sub hoc ultimo, in primis benigno, non sanguis rubicundus, sed alba, pituitosa limpida, ad instar albuminis ovorum; in maligno autem seu venereo corrupta, depravata, plus minus serosa, livida, cirrina, viridis materia appareat, quæ insimul ut plurimum acrimonia insigni prædicta est, eamque ob causam non raro exulcerationes genitalium partiumque adjacentium enormes (ut mihi in duobus subjectis hic Effurti observare licuit quæ tamen assistente gratia Dei tandem curavi & pristinæ sanitati restitui) inducit. Obiter autem hac occasione moneo, quod serosa illa sanguinis portio post fluxum mensium immodicum adhuc proveniens non statim pro fluore albo venditari, aut cum ipso confundi debeat: Mox enim illa iterum evanescit; quemadmodum etiam hac ratione fluor albus benignus cum venereo itidem non est commiscendus: Signum infallibile tales ab invicem distinguendi doctissimus BAGLIVIVS Prax. Med. Lib. II. Cap. VIII. p. 197. communicat his verbis: *Pete à muliere an superveniente menstruo sanguinis fluxu perseveret quoque eodem tempore fluor ille albæ materie;* Si dicat quod sic, significato, quod morbus,

morbus, à quo divexusatur, sit gonorrhœa gallica; Si vero durante menstruatione fluor albus evanescat, & eadem finita denud regrediatur, pro certo habeas mulierem fluore albo uterino laborare, cætera signa fallunt, hoc vero constans est & mulierum dolum aperte deludit. Scribit autem in aëre Romano, hinc interdum in nostro climate contrarium observare licet.

§. VII.

Facilime quoque nimium tale profluviū à fluxu Lochiorum nimio & enormi discerni potest; hic enim semper post puerperium contingere solet & quidem statim post fœtus & secundinarum exclusionem; si vero partum præcedit, tunc plerumque grave periculum involvit & sæpius vel fœtum vel matrēm jugulat, ac pro meliori dijudicatione quibusdam hæmorrhagia uteri audit. Porrò distinguendus quoque hic fluxus venit ab hæmorrhagia uteri extra graviditatem contingente, quamvis secundum onomatologiam fere idem significet, (άμμα enim Græcis sanguis & πέπων fluo seu ut alii malunt πύρην rumpo audit) atque insimul exiguum quoque in Praxi Medica adferat utilitatem; hinc accurati Pathologi hanc maxime pónunt differtentiam, quod nimirum modo allegata uteri hæmorrhagia gravioribus semper symptomatibus stipata sit & plerunque proxime ante vel post cessationem mensium ordinariam eveniat, fluxumque summe impetuosum sanguinis grumosi, nigricantis & spissioris sistat; præterea si in innuptis ille contingat, tunc ut plurimum suspectus est, quoniam abortum sæpiissime sequi solet; nec non à mola, ab Emmenagogorum fortiorum usu

usu & post puerperium à retentione lochiorum originem suam sumit, quale quid tamen circa fluxum nimium mensium observare nunquam fere possumus. Porro distinguitur etiam à *midu cruento*, qui admodum raro in sexu sequiori sed in primis in calculosis, senibus & plethoricis decrepitis observatur, quamvis non raro quoque in juvenibus arthritidi obnoxiiis venerique deditis occurrat, ut in opilione arthritico & pharmacopœo inepte Sp. Vin. camphor. ad Gonorrhœam sistendam applicante, observavi.

§. VIII.

Omnium facilime menses excedentes à fluxu *haemorrhoidum nimio* discerni possunt; in hoc enim sanguis non per genitalia, sed per intestinum rectum & ejus orificium è vena portæ & connexis vasis hæmorrhoidalibus protruditur, atque insuper non ita frequenter sequiori sexui familiaris observatur, quam quidem masculino: Interim dantur etiam casus, ubi in mensium suppressione & obstructione sanguis paulo copiosius per anum eliminatus fuit, sunt autem illa utique rara & idcirco facile, præprimis ratione antecedentium, tales excretiones ab invicem discerni possunt.

§. IX.

Denique Practicus solers accurate ab invicem distinguat fluxum largiorem & enorinem seu excessivum: Non enim statim sine omni judicio fluxus abundans pro *nimio* habendus & venditandus est, siquidein, quando nulla notabilis virium imminentia observatur aliaque symptomata graviora desunt, tunc male *nimius* vocarur. Et hæc distinctio maximam in Praxi suppeditat utilitatem

ut convenienti semper modo Naturæ in ejusmodi negotiis opitulari queamus : Si enim fluxum largiorem non quidem sine omni languore, sed absque notabili virium amissione occurrentem, per styptica suppressas, certissime multa fontica induces mala, & ita non eris Naturæ minister, sed magister, quin-imò hostis & pestis.

§. X.

Subiecta fluxui nostro obnoxia sunt in primis *maritatæ fœminæ plethoricæ*, temperamenti cholericō-sanguinei & melancholici, valde sensibiles, spirituosis & volatilibus abutentes, quæ gravioribus animi commotionibus vexantur; præcipue iracundia suppressa, denegatâ scilicet vindictâ, fluxum hunc in sensibilioribus extuscat; item *lascivæ*, otio veneisque nimium deditæ: Veneris enim abusu sanguis nimium in motum rapitur; ut & *viduæ* lautiore diæta gaudentes, libidinosæ, veneras œstro pariter exagitatae jucundâ & voluptuosâ recordatione pristini status & temporum, rarius *virgines* viro maturæ, libidine ferventes, viri amplexus desiderantes, nimiis speculationibus venereis incumbentes; speciatim autem *meretrices* & in quibus emmenagogæ calidiora, fœtum molamque expellentia, purgantia draistica aliaque humores commoventia medicamenta adhibita fuere, malum hoc incurruunt.

§. XI.

Causa fluxus nostri πονηριῶν & proxima est *plethora* & præcipue *commota*, quæ vulgo sanguinis οργασμὸς salutatur, atque suos potissimum ab obstructione vasorum & viscerum natales sumit: Sanguis enim abundans & ebulliens, quando ipsi spatium sufficiens se expandendi dene-

denegatur, necessario cum impetu quodam, invalescente in primis motu ipsius intestino, exitum sibi querit. *Causarum procatarcticarum remotiorum seu occasionalium* multæ sunt & variæ, in primis autem huc pertinent nimia spirituorum & acrum ingurgitatio, volatilium sanguinem nimis exagitantium crebrior & copiosus, animi ~~passionalia~~ vehementiora, speciatim ira, terror subitaneus & ex improviso ortus, vigiliæ nimiae sanguinem plus justo in libero suo progressu confundentes ac turbantes, fœtus exclusio præmatura, mensum ac lochiorum retentio, residua à secundinis portio, aut molarum concrementa, emmenagoga fortiora, sanguinis ventilationum adsuetarum neglectio & plenaria omisso, nimiae pectoris commotiones per tussim, sternutationes & vociferationes, immodicum veneris exercitium, corporis immoderatae & vehementes exæstuationes, diæta lautior vinosa & aromaticæ, aliaque humis generis plura. *Causa* denique *efficiens* est ipsa anima, quæ hac ratione, quamvis sæpe erroneæ, superfluam sanguinis quantitatem evacuare omnibus annititur viribus, ut corpus organicum, tanquam habitaculum à Deo sibi destinatum, eò melius conservare & ab imminentibus periculis tempestivè liberare queat.

§. XII.

Signa fluxus nostri pathognomica ipsumque concomitantia facile ex definitione & differentia erui possunt; *antecedentia* vero ratione complexionum & temperamentorum variant & sæpius medicum Therapeutam, qui fluxum nimium inde successurum hariolatur, decipiunt, cujus intuitu ad experientiam provoco. Præ-

primis autem tam ad antecedentia quam concomitancia signa referuntur, animus prostratus, dejectus, tristis & anxius, veteribus sub nomine melancholiæ notus, palpitationes cordis insignes, suffocationes cardialgicæ, de quibus dicunt, es wolle iñnen den Hals alle zuziehen, es benähme iñnen den Athem, sie wolten ganz ersticken; dolores tensivi ac pressorii circa regionem uteri & præcipue circa os sacrum, crebriores motus tonici alterationes, faucium ariditas, extremitatum frigus & tremor, multaque alia temperamento subiecti respondentia; porro pulsus adest celer & frequens, venæ turgent & tument, urina colore & consistentia varians, modo turbida, modo intense rubra, sæpitis vero oleofa ut & alba nubecula & atomis præedita est. In specie quoque signis antecedentibus accensentur mensium ac lochiorum retentio, sive sit particularis sive totalis & perfecta, nec non reliquæ horum fluxuum ~~acropædiæ~~, quando non statam & consuetam temporis periodum servant, sed inæqualiter fluunt, vel non ita sufficienter ac in debita quantitate succedunt, quam quidem alias consuevere. Profluvium autem ipsu[m] sub his circumstantiis, modo cum impetu vehementiore, modo placido successu sensim sensimque ad excessum vergente ac per tres ac plures septimarias non raro durante, sub notabili virium languore, debilitate, epilepsia hysterica & lipothymiis aliisque pessimis ejusmodi conseptariis procedere solet.

§. XIII.

Quoniam itaque hoc modo (nimirum quando fluxus noster ultra tempus & quantitatem ordinariam pro-

protrahitur) sanguis corpori nutriendo destinatus nimium depauperatur, hinc tandem facile subsequitur tumor pedum œdematosus, cachexia, hydrops, tabes & hectica, sterilitas &c. & tandem *mors*. In mulieribus annosioribus non raro res conclamata est, sed aliter res habet in junioribus, in quibus ut plurimum cura felicius succedit, modo medicus sit non nomine sed re & vere talis. Quando convulsiones aut animi defectus accedunt, tunc secundum HIPPOCRATEM calamitosum est. Proinde etiam hic fluxus non raro per longum temporis spatium (præcipue aut striete sic dicta *uteri hæmorrhagia*) protrahitur, pro quo asserto tamen stabiliendo & suffulciendo non lubet multa Practicorum exempla & observationes commemorare; evolvamus modo N. T. ubi Evangelista Matthæus Cap. IX. misellæ cujusdam fœmellæ mentionem facit, quæ fluxu hoc miserabiliter per 12. annos excruciata fuit, cui tandem medicus cælestis mirabili prorsus modo pristinam restituit sanitatem. Propria quoque experientia in consanguinea quadam idem mihi jam jam confirmavit, dum matrona hæc honesta annos agens 44. temperamenti cholericо-melancholici, per 18. hebdom. miserrime mensium & simul hæmorrhoidum fluxu rebellii ac nimio afflita fuit, quæ ut plurimum quando fluxus enornis per varia artifacia suppressus erat, anxietate summa præcordiorum, animi deliquiis, tussi siccore maxime vehementer & epilepsia hysterica vexabatur, sub quibus tamen interdum aliqualis per 5. aut 6. dies durans occurrebat intermissio vel saltem remissio, & NB. quando per genitalia sanguis protrudebatur, tunc

cessabant vel mitius fluebant hæmorrhoides & contra;
qui casus hac ratione insimul insignem illam harmo-
niam, quæ inter menstruum & hæmorrhoidalem
fluxum intercedit, eximie demonstrat. Sic etiam ZWIN-
TERVS ejusmodi ægræ mentionem facit, quam vero
non per 18. septimanas, sed menses, tali sanguinis pro-
fluvio simulque fluore albo, non gallico, sed benigno,
& tussi enormi vexatam suisse, refert.

§. XIV.

Curatio hujus mali ab aliis hæmorrhagiarum spe-
ciebus parum vel nihil differt. Ante omnia *sanguis fe-
rociens seu organus ejusdem mitigetur*, quale quid à me-
dicamentis Osis, 33nis cum absorbentibus & temperat. fixis
maritatis, facilime impetratur; ex his confecti Pulve-
res propinentur ter vel quater per diem cum vehiculo
appropriato e.gr. ▽plantag. fol. querc. tenell. burs. pa-
storis (quæ à RIVERIO pro specifico habetur) &c. & per
aliquot dies continentur. Extra fluxum vero, seu pa-
lulum remittente illo, laxans aliquod medicamentum
adhibetur, & quidem in biliosis Rhabarbarinum, Ta-
marindinatum &c. in serosis Jalappinum &c. exulent
autem draistica, aloëtica, helleborina, colocynthiaca &c.
JVNCKERVS alijque Illustris Stahlii asseciae, D.D. ALBERTI
nimirum, WEISBACHIVS, NENTERVS &c. commendant
pilulas Beccheri & Stahlii, sic enim Cl. JVNCKERVS in
conspectu Med. Theor. Pract. p. 109. loquitur: *Pilulae Beccheri*
genuinæ, vel, quod melius, Stahlianæ, versus somnum quotidie
exhibitæ, specifica quadam energia nimium fluxum placide
moderantur. In defectu harum pilularum genuinarum
commendo formulam à Cl. JVNCKERO in *conspectu for-*
mula-

mularum p. 33. n. 13. descriptam, quæ certe egregie se gerit non solum in hoc, sed aliis quamplurimis mulierum morbis: Ut & illas in *observ. clinico Practicis Anonymi cuiusdam Lips. ao. 1726. edit. p. m. 20.* Si vero fluxus observatur valde impetuosus, tunc purgantia plane sunt omittenda, quamvis Exper. SYDENHAM, OLITZIVS & alii putent sine catharticorum interpositione reliquam curam esse frustraneam; talia enim sanguinem commovent & orgasmum, si præcipue drastica fuerint, nimium quantum augent. LANGIVS equidem Practicus olim Lipsiensium famigeratissimus in *Oper. Med. Tom. II. p. 153.* contrariam opinionem fovet, ac si M. S. in malo diuturno, si sanguis aqueus sit & loturam carnis referat, egregie per purgantia inspissari possit, credat qui velit, per me licet, ego non subscribam.

§. XV.

Primis viis à sordibus biliosis aliaque vitiosorum humorum saburra liberatis & purgatis V. S. in brachio iustituatur & quidem NB. in morbi principio, si vires nondum sint exhaustæ, hæc enim certe in talibus subjectis, quibus alias sanguinis ventilationes solennes fuerunt, saepius vel sola egregie huic accidenti mederi observatur, eaque propter in plethoricis, si vires ægræ permittant ejusdem reiteratio nullo modo reformienda est. Audiamus doctissimum GLADBACHIVM de V. S. ita differentem: *Sicuti menses non queunt promoveri, nisi præsente sufficiente quantitate sanguinis, ita nequeunt sisti, nisi absente.* Præcipue extra paroxysmum in superiori corporis parte revulsionis causa celebrata se commendat. JVNCKERVVS l. c. putat, V. S. sine omni trepi-

trepidatione in pede institui posse, si 14. dies ante novum insultum celebretur; si nimia vel potius largior sanguinis quantitas ventiletur seu educatur, concedo, alias non facile instituerem, quoniam obstat experientia: Sanguis enim per hanc evacuationem magis versus inferiora quasi invitatur & consequenter fluxum majorem & plane enormem fieri observatur. Aliis arridet *scarificatio* in superiori corporis parte e. gr. scapulis, dorso, humeris &c. instituta, ut & hirudinum applicatio; scarificatio certe in succulentioribus bene se commendat, sed quoniam per V. S. largior sanguinis quantitas, præsertim si vena oblique incisa fuerit, absque notabili incommodo obtinetur, hæc præ aliis sanguinis ventilationibus feligatur, nisi obstet reformatio animique pusillanimitas. HIPPOCRATES Medicorum Princeps, cucurbitam magnam sine scarificatione mammis adplicat, Vid. *Sect. V. aphor. 50.* ubi ita loquitur: *Si mulieri immoderatus fluentia menstrua vis cohíbere, magnam cucurbitam ad mammas defigito.* Sed summa in requirit cautelam: Quando enim corpus sanguine adhuc turget, tunc applicatio ista pessimi est eventus, quoniam hoc modo utpluriū stasis, è stasi inflammatio, ex inflammatione gangræna & sphacelus & non raro MORS, infelicissimis talibus subjectis inferuntur.

§. XVI.

His præmissis porro pro temperando nimio sanguinis orgasmo, *incrassantia*, *gelatinosa*, *gummosa* & *emulsiva* adhibeantur, è quibus eminet in primis sperniola Crollii, sed monentibus B. RIVINO & LANGIO myrrha & alia, quæ sperniolæ adduntur, sanguinem maximopere com-

commoventia, acria, exulent, ut & gummi Arabicum,
 gelatina CC. Eboris &c. Emulsiones temperantes quæ
 particulas sanguinis activas & orgasticas quasi
 refrænant, mitigant & temperant, præcipue constent
 è sem. portul. acetos. plantag. agni casti, Cannab. 4.
 frigid. majori. &c. Si vero hisce medicamentis fluxus
 cedere recuset tunc *subadstringentia* seu ut alii loqui
 amant *Tonica* in usum vocanda sunt; quorsum perti-
 nent spec. d. hyac. incomplet. smaragdus, dens hippo-
 pot. ad mentem HÖCHSTETTERI, marganitæ orientales
 præp. quæ certè egregie se gerunt, præprimis si illa-
 rum usus continuetur & familiare propterea sunt me-
 dicamentum in hoc casu Dn. WALTHERO Lipsiens. Ana-
 tomico & Practico famigeratissimo, Praeceptor meo
 ad cineres usque honorando; sed dolendum quod
 pauperibus nimis sit pretiosum. Huc accedunt etiam
Corallia in substantia, Tincturæ illorum genuinæ c. 2.
 lignor. aut panis paratæ, ut & VIGANI, quam vide in ejus
Medulla destillatoria p. 24. Cl. LANGIVS in *chymia* p. 625.
 præ reliquis commendat & describit Tinct. corallio-
 rum Langelotti. Pulvis, TRa & extractum Cascarillæ,
 trochisci de carabe ad 5ʒ. de ∇a Lemnia, quæ vero
 paulo fortius adstringunt. Martialia saepius omnem
 absolvunt paginam e. g. TR. Orl. ♂. Ludov. ♂ Ois &c.
 ut & inde parati variii croci, è quibus eminet crocus ♂
 & tiat. Stahlii ad gr. iv - vi. in ∇burs. pastoris, plantag. &c.
 propinatus, nec *Essentia adianthi albi*, præcipue si fluor
 albus cum fl. mensium nimio complicatus est, laude
 suâ caret. Decantatum autem *millefolium* experientiæ
 & laudi non respondet, quemadmodum etiam in do-
 C

lore

Iore hæmorrhoidum infusum illius raro facit quod de
 eo prædicatur, quod obiter addo; & sane miror illorum
 opinionem, qui perhibent, solum succum naribus admo-
 rum hæmorrhagiam excitare, sicuti quoque alibi à Viro
 quodam Celeberrimo in disputatione *de hæmorrhagiæ*
narium asseveratur, quod millefolii hastulata folio-
 la, affricta suo nares ad hæmorrhagiam titillent *cum*
fibrillarum (ut scribit) *membranearum reservatione*. Sed
 proh dolendum, quod effectus non subsequatur lau-
 dem, alias in hæmorrhagiæ narium suppressione re-
 medium esset sine pari. Sed iterum ad rem! FORESTVS
 (qui quoque pulverem turturum in hoc casu magni
 æstimat) ∇ plantaginis & vini rubr. adstringentis ana-
 cochl. iij. vitelloque ovi multas se sanasse scribit, &
 LENTILIVS in *Miscell. Pract.* vitellum ovi è gallina ma-
 ñata exsecti & cum N.M. propinatum laudat. Extra
 paroxysmum Mixtura Tonicò-Nervina Illustris STAHLII
 ex TR. Fr. & Ω CC. part. anat. parata commendatur.
 Sic etiam optimo jure hūc anodyna & quidem corre-
 ctæ spectant ut MP. de Cynoglossa, laud. op. &c. quæ
 pulveribus temperantibus in §. XIV. descriptis à gr. i-ij.
 addi possunt. Præsertim a. *Pilulae Wildegansii* genuinæ,
 obscuri quamvis Autoris, in hunc usque diem se com-
 mendant: Fluxum enim non prima vice, sed successi-
 ve infringunt, suppressunt, tollunt; descriptionem ge-
 nuinam qui desiderat, adeat Experientiss. JVNCKERI *Con-*
spectum formularum p. 34. Nec laude privandæ sunt *pi-*
lulae doctissimi STARCKEYS in *dispensatorio Brandenburgico*
p. 135. delineatæ, quas vide, & probe ingenii tui acie ac
 animi lance adhortationes & cautelas de illarum usg
 pondera

pondera & considera, alias plus detrimenti quam emolumenti ex illarum negligentiori præparatione & improvida combinatione capies. Sed moneo insimul, ut opiate licet sint correcta tamen summa cum cantela adhibeantur, quoniam illa, præcipue ubi vires sunt enervatae ac exhaustæ, plus obsunt quam prosunt & non raro ægrotos ad campos Elysios mittunt, confer non satis laudandi STAHLII doctissima *disputatio Impostura opij*. Id quod etiam de *adstringentibus*, in primis in subjectis plethoricis, sub nimio tali fluxu nimis præpostere adhibitis valet, de quorum infausto atque lethali effectu inter alia eximium testimonium perhibet CL. SEGERVS in *M. N. C. Anno II. observ. 26.* Seminis Hyosciamini usui interno subscribere non placet, narcoticum est & stupefaciens ac effectu non multum à sem. Daturæ differt, in malo tamen effero se commendat, & præcipue *Opium* ejus gtt. j - ij. miraculi instar fluxum hunc sedant. Externe vero in suffitu adhibitum, euporiston est non contemnendum, & nota est mihi virgo, quæ hujus seminis usu externo pristinam sanitatem acquisivit, sed cave ne fumus os attingat, ore potius occluso & reliqua capitris parte munita excipiat ægra fumum.

§. XVI.

In malo contumaciori his modo dictis itidem incassum adhibitis, quod tamen rarissime evenire solet, tandem *adstringentia* fortiora in subsidium vocanda sunt, e. g. Rad. tormentill. bistort. symph. fl. ros. rubr. fol. fl. & sem. urticæ urentis, fl. nucum ad mentem SOLENANDRI, balaust. ligustr. fol. querc. tenell. plantag. burs. pastor. quæ

quæ à RIVERIO pro specifico habentur, cortex granat.
santalum rubr. fructus immaturi mororum & omnia
acida, succus acaciæ, hypocistidis, sic & stercora anima-
lium quæ manifeste sunt acida & satis notabiliter ad-
stringunt, in primis asinini, porcini, canini & suilli succus
expressus à variis Practicis tam internè quam externe
laudatur. Tum acerrimum, clyssus ʒij, 2. ʒr. OI.
Ois &c. Nec non varia Ȑea, ut Ȑa Lemnia, creta, bolus
rubr. rubrica fabril. Ȑa catechu, saechar. h. n. atque hæ-
matites præp. sanguis draconis in substantia & ejus
TRæ quæ à quibusdam pro scopo adstringendī magni
æstimantur; Ȑa OI. dulc. à RIVINO laudibus effertur &
certe optime se commendat. Prostant quoque varia
composita, e. gr. Pulvis strypticus Wedel. Stegnot.
Gutmanni, Fraundorfferi ad mensum fluxum probatus
qui videri potest in Tabula ejus Smaragdina ubi sequen-
tem in modum describitur: Ȑ. Fol. menth. crisp.
chamædr. consolid. saracen. botryos ana 3j. crystall.
præp. 3ij. succin. præp. 3j rubr. fabril. cretæ Colon. in
V plantag. lotæ ana 3s. Elæosacch. N. M. 3s. M. F.
Pulv.

§. XVII.

Sæpius laudatus B. RIVINVS, cuius cineribus adhuc
fidem servō, commendat quoque loco specifici cuius-
dam succum menthæ crispæ expressum & ad cochlear. j.
propinatum, OLITZIVS Pulverem cretæ ad 3s. SOLENAN-
DER Pulverem Colophoniæ ad 3j. mane & vesperi præ-
scribunt. RODERICVS à CASTRO mulieri nescienti succ.
sterc. asinin. syr. myftin. ana 3s. V plantag. 3j. adhibere
solitus

solitus fuit, sic & O. crudum à 33-3j. adhibitum, Essentia acori adulterini, & hyoscyam. ad gtt. j - ij. in malo effero magni aestimantur. Sed caute age, adstringentia enim, debito licet tempore sed frivole & sine omni iudicio usurpata, summam præcordiorum anxietatem, infarctum viscerum & obstructionem præcipue glandularum meseraicarum, cachexiam, tumorem pedum cœdematosum, hydropem, febb. inflammatorias, lentes & hecticas aliaque sonica mala & tandem mortem afferunt. Et huc quadrant verba atque prognosis doctissimi BAGLIVII de improviso Chinæ Chinæ usu prolatæ & quidem in tractatione de febb. mesent. p. 389. ubi sequentem in modum suam desuper declarat mentem: *Si chinam chinæ dederis ventre abhuc humoribus onusto, tria expectato, aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrim (ego addo aut hydropem) aut mortem. Observa bene si falsa dixero, me redarguas &c.* Tale quid certissime etiam ab aliorum stypticorum usu immoderato ac incauto in hoc fluxu observabis, cave igitur & caute age. De Tra antiphthisica GRAMMANNI piget hic loci quicquam dicere, jamdudum enim à nobili Medicorum sidere, doctissimo scil. STAHLIO epitheton, fatuum np. *zopœia* obtinuit. Vid. disput. saepius laudati viri de multitudo Remediorum abusū p. 22. Chirurgus quidam in patria mea possidet medicamentum sapore subacido præditum, à Medico Gallico in obsessione Landaviæ acceptum, quod egregie absque omni molestia fluxum enorinem sedat, ut bis observare licuit, quodnam vero & quale illud proprie sit, hactenus semper summo cum studio celavit.

§. XVIII.

Varia quoque aquæ Autores *Sympathetica* reme-
dia & *amuleta* prostant, quæ non sicco, ut ajunt, pede
prætereunda. Præ omnibus aliis Pulv. *Sympath.* DYG-
BÆI laudatur & non raro laudi respondet, si rite ac sci-
te applicetur, pro infallibili vero remedio in hæmorr-
rhagiis non ventitandus, nec in extremis pro sacra sem-
per anchora, quod tamen pace cl. JVNCKERI dixerim, yen-
ditandus est. Nota sunt exempla, in quibus ejus usus
pessimi fuit eventus; modus adhibendi lippis & ton-
foribus notus est, idcirco illum non lubet attingere.
WEISBACHIVS in *Praxi* p. 24. ovi exenterati cavitatem pa-
tientis cruento menstruo replet, (cujus dein foramen ce-
ra cirtina conglutinari potest) & cineribus bene adhuc
calentibus seu ut loquitur HORATIVS dolosis, demandat
& immittit, & sic fluxum inhibet, suppressit, sedat.
Sunt, qui linteum sanguine menstruo irrigatum in ignem
conjiciunt. Vid. NICOL. MART. *de Magia Naturali* ejusque
usu medico p. 61. & bonum inde effectum depraedicanter.
Alii indusium cruento patientis madefactum in cellam,
donec computrescat, ad fluxum talem sistendum, po-
nunt, sed, si ægra tabida non est, hujus remedij sympath.
usu certissime talis evadet, id quod non quidem mea
sed aliorum experientia edoctus scribo & assevero.
Nec silentio prætereundus est bufo exsiccatus HELMON-
TII instar amuleti sub axillis gestatus, qui nostro etiam
tempore à variis Practicis commendatur, an vero lau-
di semper respondeat, aliorum experientiæ relinquo.
Ovum ad duritiem coctum & sub axillis detentum fa-
miliare quibusdam in hoc casu est remedium, ut & la-
HIVX. q

pis carpionum sub lingua detentus, rad. cichor. fl. albo in signo virginis collecta &c. sed irrito saepius cum effectu. Possem equidem adhuc multa alia sympathet. remedia & amulet. in medium proferre, si modo tempus chartæque angustia id permitterent; hinc lubens hisce supersedeo, præprimis quoniam in medicina non raro decantantur tenebræ & sola non nisi experientia cautum facit.

§. XIX.

Ordine sequuntur *externa varia adstringentia*, quæ præferenda sunt internis hujus qualitatis medicamentis, eaque propter primo dicamus de *frictionibus* & *ligaturis*; *frictiones dolorosæ* in superiore corporis parte ad affluxum humorum revellendum institutæ præcipue magni æstimatorum à BONETTO; TIMÆVS vero à GULDENSEE & alii nullum inde effectum sperandum esse, scribunt, laudantur itaque ab his, culpantur ab illis. *Ligaturæ* vero extremonum optime se commendant, sed, ne fortius fiant, cavendum. Audiamus utilem ac egregio dono didactico præeditum scriptorem medicum Cl. JVNCERVM in *conspectu Med. Theoret. Pract. Tab. V. de haemorrhagiis* p. 30. qui circa applicationem illarum requirit ut a) in partibus extremis pedum & manuum fiant. b) ut pars ligata non penitus opprimatur, sed maneat aliqualis sanguinis concursus. c) neque nimis cito ligatura solvatur, neque etiam nimis diu in illo gradu detineatur, ne sphacelus inducatur. Curiosum est quod habet OLITZIVS, dum nimis commendat ligaturam digitorum auricularium cum filo bombycino seu serico coccineo, in menstruo muliebri jam jam erupturo, impe-

impediendo vel potius retinendo tot dies quot circuli
 fuerint ligati; quod hâc occasione obiter in mentem
 venit. Obstetrix quædam Gallica radicem Eryngii ex-
 terne sequenti modo adhibitam laudibus effert: Rx. rad.
 Eryng. M. ij. coqu. in Vino rubr. lavetur ægra probe mane
 & vesperi, linteis calidis post ablutionem impositis. Ini-
 tium ablutionis fit pone aures, tunc in cervice & tan-
 dem per totam spinam usque ad os sacrum, tunc inun-
 gitur usque ad pudenda: Hoç simplici euporisto re-
 medio se quam pluriimas sanatas, irritis & incassum aliis
 remedii adhibitis, vidisse, refert. Nec emplastra è
 minio, ad herniam, è gypso, pice navalí, thure, ma-
 stiche, thereb. rubr. fabr. &c. & aliis adstringentibus
 parata laude suâ carent. Cataplasma ex pulvere gypsi,
 gum. Arab. torrefact. album. ovorum c. placent, hyffo-
 pi abdomini applicatum commendat SOLENANDER, &
 quod fluxum intra unam diem sistat, promittit. Pro-
 inde etiam sequ. epithema itidem bene se gerit: Rx. ▽
 sperm. ran. solani ana ȝij. acet. rosarum ȝis. Sach. ȝni.
 sperniol. Croll. ana ȝis. M. & applicetur regioni uteri
 & pubis. Muscus arboreus præcipue acaciæ (ad men-
 tem CARDILVCHI) genitalium regioni adplicatus aut cin-
 gulum ex Musco terrestri repente sive ita dictâ *Herba Pli-*
cariæ paratum & nudo corpori circa regionem ischia-
 dicam circumdatum, quo alias in ejusmodi casibus
 mulieres rusticæ & plebejæ in Ucraina utuntur, refe-
 rente BEINHARDO à BERNITZ in M. N. C. Ann. II. observ. 52.
 in schol. ut & stercora animalium externe adhibita lau-
 dantur & testante experientiâ interdum profluviū ta-
 le sistunt. Nec inferioris virtutis usnea cranii humani
 regioni

regioni pubis imposita, aut sub forma Pessarii juxta commendationem modo laudati BERNITZII *l. c. observ.*
 53. *in schol.* nec non HILDANI, WEICKHARDI, aliorumque, applicata, censetur, quemadmodum etiam fol. quer-
 cus tenell. & sem. hyosc. in suffitu euporista sistunt non contemnenda. Fragaria plantis pedum, nasturtium contusum loco affecto in forma epithematis, cingulum è fol. rec. helleb. veri ut & è bursa pastoris adplicata faciunt quod possunt, rarius quod de iis prædicatur & desideratur. Acorus adulterinus sub lingua detentus in hæmorrhagia narium non raro se commendat, hoc vero in casu sive in ore detineatur sive alio modo externe applicetur, raro ; in casu vero desperato TRa ejus instar miraculi sæpe fluxum compescit. Fasciculus filorum è stupa seu lino confectorum Δe lento cum ciner. manip. iij. - iv. coctus & externe applicatus egregium est remedium. Quando ex utero vel Jani venis sanguis nimium profluit, immisiones manuum in V vel Vin. calidum præsentissimam sæpe opem ferunt, sunt verba Exper. LANGII *in Oper. Med. P. III. p. 239.* Nec laude privanda pessaria ex variis adstringentibus præcipue vero ex Oe parata, ut & enemata, quamvis non cuilibet arrideant : Notum alias mihi est enema è certis ingredientibus paratum & per genitalia immissum, quod post usum multorum irrite contra hoc profluviū commendatorum & applicatorum medicamentorum bene se gescit, quibus omnibus tandem balneum ex solutione Ois paratum succedit, quod pariter in morbo rebelli bene se commendat. Plura hujus generis alia invenies in WALTHERI *Sylva medica, B. LAN-*

Qui erudita dissertatione de *ἰχθύοις*, JVNCKERI Tab. Med. de
haemorrhagiis &c. varia enim hujus & pristini ævi Me-
dicorum scripta de illis ad nauseam agunt, ad quæ
propterea L. B. remitto.

§. XX.

Quoniam vero multi & magni morbi non raro
curantur abstinentia & diæta, bona enim diæta potior
est omni Hippocrate, hinc pauca adhuc de illa in me-
dium proferam. Hæc igitur in primis non sit aroma-
tica, acris, vinosa, dulciosa quæ cane pejus & angue vi-
tetur, siquidem inter alia speciatim de raphano ru-
stico observavi, quod comestus damnum attulerit,
menses enim & haemorrhoides promovet; sit vero
etiam diæta non nimis scrupulosa, sed analeptica, ge-
latinosa, emulsiva &c. Seligatur insuper potus tenuior
& cerevisia secundaria probe cocta & defæcata; ca-
veant sibi patientes à nimia vociferatione, tussi, sternu-
tatione, nimia lectione, aëre externo calidiore, (præci-
pue ignis splendorem oculis non multum inspiciant)
motione ac Venere immodica, his enim sanguis cele-
riorem acquirit circulum, concitaturque in motum ra-
pidissimum, ut simultaneo tandem impetu profunda-
tur, viresque inde nimium debilitentur. E contrario
motus sit moderatus, aër temperatus, cibus eupeptus,
potus diluens, animus tranquillus, ira vero & terror
quantum possibile est, vitentur. Porro quies & somnus
maximopere commendantur, somno enim magis
quam alimentis vires restaurantur, immodicus vero
ablegandus, somnus enim refectioni necessarius est, hunc
tamen si per dies noctesque continues, mors erit, sunt verba
non

non mea sed mei SENECAE de tranquill. anim. pag. 333.
 confer. quoque *dissert. celeb.* ALBERTI *de somno morborum causa.* Corporis, præcipue vero pedum, incandescentia, certoque respectu refrigeratio magna pariter maxime ob sunt. Præservatorie ante omnia V. S. & quidem in brachio instituatur, uteri vero impuritates per pilulas BECCHERI vel Illistr. STAHLII genuinas corrigantur & eliminantur; quemadmodum etiam præservationis loco si menses imminuti vel plenarie suppressi fuerint, & hinc metuenda menorrhagia radix cichorii in substantia & infuso remedium est sine pari ad sanguinem scilicet dissipandum & æqualiter distribuendum, modo ejus usus ad mentem STAHLII continuetur. Et hæc sunt quæ *de fluxu mensium nimio* in medium proferre pro viribus quamvis sat exiguis licuit, fateor quidem quod de hoc Themate fusius agi potuisset, sed non cuilibet contingit nec licet adire Corinthum &

Autumnus, quæ dat, non ver producit & æstas.
 Deo interim T. O. M. pro concessis viribus gratias persolvo debitas & ut porro studiis ac laboribus meis benedicat, supplici voce rogo. Lectori vero Benevolo hisce supremum dico VALE; siquidem nil amplius nunc restat nisi ut unum adhuc adjiciam verbulum

F I N I S.



Non

Non modo conscribis chartas, sed, SCRIBA, perite
Describis morbum, & quæ medicina mali.
Recta hinc prescribas ægris medicamina porro,
Cuncta ut prescribas quæ mala corpus habent.
Sic in aqua nomen SCRIBÆ haud scribetur, & ætas
Nulla id delebit, litera nulla feret.
Subscribo: Medicaminibus scriptisque datisque
Jova salutiferam vim det inesse Tuis!

Hoc Nobilissimo Domino SCHREIBER pie sors

ANDREAS ELIAS Büchner, Phil. & Med. D.
S. R. I. Acad. Nat. Curios. Collega.

Sic cum laude decet studiorum reddere, AMICE!
Egregium specimen pro Cathedrâ Medicâ,
Et juvat à Phœbô meritum acceptare brabeum,
Quò modò solertes jure beare solet.
Gratulor hinc animò; simul autem mente precabor
Supremum NVMEN: Faxit, ut ulterius
Præmia plura feras, & commoda larga sequantur,
Quò TE felicem nostra Molhusa probet.

perscribebat Amico & Consobrino suo

BENJAMIN CHRISTOPH. Graßhoff.

Gaudia si par est testetur Amicus Amico,
Et voveat cœptis non nisi fausta novis;
Applundo pariter brevibus, COGNATE COLENDE!
Ac hos conatus laudo proboque TVOS:
Quod non formides doctam pro laude palæstram,
Laurum quâ referet Præses Apollo TIBI.
Det DEVS, ut reduci partos gratemur honores
Quam primum. Interea vive valeque, precor

Tuus Cosobrinus,

CHRISTIAN. BERNH. Frohne,
Molhusanus,

